



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 4. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

ergo iustitia vagè saltem obligat ad operandum aliquando ex motivo formali. Quapropter si sint possibiles actus indifferentes in individuo, non obligatur homo semper, & quando liberè operatur ad operandum vagè ex motivo iustitiæ, vel alterius virtutis; bene verò si non sint possibiles actus indifferentes in individuo; nam homo semper, & quando liberè operatur, tenetur non agere malum; unde si non detur alius modus non agendi malum, nisi operandò bonum, vel agendò honestè ex motivo alicujus virtutis, tenebitur ad operandum ex motivo alicujus virtutis; ac proinde vagè obligabitur à quacunque virtute.

156. **A**ssero 2. Ad satisfaciendum determinatè exigentiæ iustitiæ non requiritur, ut apponatur iustum simpliciter, sed satis est, si apponatur æqualis juris compensatio ex animo saltem virtuali compensandi jus alterius, quæ sit iustitia secundum *quid*. Probat. Quando aliquid jam est præceptum in universali, non debet præcipi iterum in particulari, nisi detur specialis ratio, & speciale motivum illud præcipiendi: atqui datur universale præceptum obligans nos ad hoc, ut operemur moraliter, hoc est cum perfecta advertentia rationis operemur ex motivo honesto, vel saltem non inhonesto: ergo nisi adfit specialis ratio, & speciale motivum, iustitia, & quævis alia virtus moralis, dum obligat nos ad faciendas aliquas actiones, non debet iterum præcipere, ut illas faciamus ex motivo honesto, vel non inhonesto: atqui nulla est ratio, propter quam iustitia, dum præcipit, ut restituamus, præcipiat ex motivo honesto, vel saltem non inhonesto, cum sufficiat præceptum illud universale: ergo &c.

157. **C**onfirmatur. Poteft aliquis per eundem actum implere exigentiã determinatã iustitiæ, ac proinde præceptum iustitiæ, simulque transgredi aliud præceptum, E. G. cum quis restituit aliquid ex motivo vanæ gloriæ, per eundem actum implet præceptum restituendi, quod attinet ad iustitiã, & transgreditur præceptum prohibens vanam gloriã: quin potius, si aliquis restituat rem alienam minoris pretii ex fine furandi, deinde rem majoris pretii, per eundem actum implet præceptum restituendi rem illam minoris pretii, quod attinet ad iustitiã, & transgreditur aliud præceptum non furandi, quod spectat ad eandem iustitiã: sed exinde clarè pater ad satisfaciendum determinatè exigentiæ iustitiæ non requiri, quòd ponatur iustum simpliciter, sed satis esse, si apponatur æqualis juris compensatio, quæ sit iusta secundum *quid*: ergo &c. Ex dictis

158. **F**it 1. Quòd, quando præceptum duntaxat obligat ad faciendum rem præceptam, qui facit rem præceptam quomodocunque, & ex quocunque fine illam faciat, satisfacit tali præcepto quoad exigentiã ejus rei, licet fortasse transgrediatur aliquod aliud præceptum; unde quia præceptum audiendi Sacrum die festo, obligat solum ad audiendum Sacrum, qui reverà illud

audit ex quocunque motivo, aut sine illud audiat, supponendò habere intentionem requisitam ad talem auditionem, satisfacit præcepto quantum ad istam ejus exigentiã. Idcirco si quis die festo audiat unum Sacrum cum intentione non satisfaciendi præcepto per auditionem illius Sacri, sed satisfaciendi postea per auditionem alterius, nihilominus satisfacit præcepto, nec tenetur ad audiendum aliud. Ratio est, quia implicat, quòd quis faciat totum, quod ab aliquo præcepto præcipitur, & non satisfaciat præcepto: sed nihil aliud præcipitur ex determinata hujus præcepti exigentiã, quàm ut audiat Sacrum die festo: ergo implicat, ut quis audiat Sacrum die festo, & non satisfaciat præcepto.

159. **F**it 2. Unamquamque virtutem obligare ad amorem formalem vel saltem virtuales obervandi omnia præcepta gravia talis virtutis. Ratio est, quia unusquisque obligatur ad non committendum ullum peccatum, sive ad volendū, & procurandum ultimum finem suum, quem per quocunque peccatum lethale amittit: atqui eo ipso, quòd habeat voluntatem obtinendi ultimum finem suum, vel per quocunque peccatum lethale amitteret, habet amorem formalem, vel saltem virtuales honestatis cujuscunque virtutis; sive quod idem est, amorem cum transgressione gravi cujuscunque virtutis incompossibilem, in quo stat ratio amoris saltem virtualis de honestate cujuscunque virtutis.

160. **Q**uamobrem, si in aliquibus circumstantiis censetur necessarius actus formalis cujuscunque virtutis ad non transgrediendum graviter aliquod præceptum, & perseveret illa voluntas, quæ est virtualis amor honestatis cujuscunque virtutis, non poterit cum illa componi omisio talis actus necessarii ad evitandam eam transgressionem; sic actus generalis attritionis, sive elicitus ex universali motivo dicitur voluntas virtualis amandi Deum super omnia pro tempore, quo præceptum illud obliget, simulque dicitur voluntas virtualis adimplendi omnia præcepta gravia, eò quòd talis generalis attritio sit impossibilis cum transgressione cujuscunque præcepti obligantis sub gravi; neque sumi potest paritas à virtutibus moralibus ad Theologicas, ad quarum actus per se obligamur; nam virtutes Theologicæ, cum uniant potentias immediatè cum ultimo fine, sunt principales, & impossibiles per virtutes morales, quæ sunt quasi illarum instrumenta, ad eum modum, quo causã principalis nequit per instrumenta sua suppleri.

## SECTIO IV.

### Solvuntur Opposita.

161. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: iustitia obligat determinatè ad faciendos actus justos: atqui actus non sunt justus, si fiant ex objecto formali iustitiæ: ergo iustitia obligat determinatè

determinatè ad operandum ex objecto formali justitiæ. Resp. dist. maj. ad faciendos actus justos secundum quid, vel simpliciter, conc. semper, & determinatè simpliciter justos, nego maj. & distincta pariter minori nego consequentiam. Ratio est, quia justitia obligat determinatè ad compenlandum jus alterius, cumque ea compensatio fieri possit vel per actum justum secundum quid, vel per justum simpliciter, ut constat à num. 68. & 150. exinde ad adimplendam eam exigentiam determinatam justitiæ non requiritur semper actus justus simpliciter; sed satis est quandoque actus justus secundum quid.

161. Objicies 2. Fides non solum obligat ad credendum, quæ Deus revelavit, sed etiam ad credendum ex infallibili verbo Dei, sive ex objecto formali fidei; spes non solum obligat ad sperandum, quæ Deus ut auxiliator promissit, sed etiam obligat ea speranda ex objecto formali spei, sive quia Deus ut auxiliator ea promissit: charitas non solum obligat ad amandum Deum in se bonum, sed etiam ad amandum ratione suæ bonitatis, ut sibi bonæ, quæ est objectum formale charitatis: ergo justitia, & aliæ virtutes morales non solum obligant determinatè ad faciendâ justâ, sed etiam ad faciendâ illâ ex motivo, & objecto formali talium virtutum, ac proinde justitia obligat determinatè ad faciendum justum simpliciter, & ex objecto formali justitiæ.

163. Resp. conc. antec. & nego consequentiam, quia fides, spes, & charitas sunt virtutes Theologicæ immediatè unientes potentias rationales cum Deo, proindeque sunt virtutes principales, & magis necessariæ homini; virtutes autem morales non uniant potentias rationales immediatè cum Deo, sed tendunt ad mediâ, quibus ducimur ad unionem cum Deo, ac proinde dicuntur instrumenta virtutum Theologicarum, & virtutes multò minùs necessariæ, quàm virtutes Theologicæ; tùm autem ex principali ad instrumentale, & ex necessario ad non necessarium nulla teneat paritas, non bene arguitur ex determinata exigentia virtutum Theologicarum; nec ex illis est ulla paritas ad determinatam exigentiam virtutum moralium, quod manifestè patet, si attendamus ad respectum, quem virtutes Theologicæ habent ad morales; nam charitas obligat ad servandâ omnia præcepta gratia, cum sit impossibilis cum transgressione cujusunque præcepti gravis, & tamen non obligat ad observandâ omnia præcepta ex motivo, & objecto formali charitatis, sed relinquit libertatem observandi præcepta virtutum moralium ex quocunque motivo honesto, vel saltem non inhonesto; ex quo clarè constat, exigentiam indeterminatam virtutum moralium solum tendere ad objectum suum honestum ex quocunque motivo, vel saltem ad non inhonestum.

164. Objicies 3. contra secundam assertionem: justitia, & quælibet alia virtus moralis non fo-

lùm debet obligare ad mediâ, sed etiam ad finem: atqui finis justitiæ est, ut exerceamus actus bonos simpliciter ex honestate relucente in compensatione juris alterius, hoc est in apponendo justum simpliciter ex honestate justitiæ: ergo ad satisfaciendum adæquatè exigentiæ justitiæ requiritur, quòd apponatur justum simpliciter, & non est satis, quòd apponatur compensatio æqualis juris, quæ sit justa secundum quid. Resp. dist. maj. sed etiam ad finem vel promovendum, vel non amittendum ex quocunque fine honesto, vel saltem non inhonesto, conc. ad finem determinatè obtinendum per honestatem talis virtutis, nego maj. & concessa minori nego consequentiam.

Ratio est, quia in hoc argumento confunditur finis hominis cum fine justitiæ, & cujusvis alterius virtutis moralis; finis namque justitiæ, & cujusvis virtutis moralis est honestas creata, quæ est objectum formale quod; finis autem hominis, & cujusvis naturæ rationalis est ipse Deus; ad hunc autem finem tenetur homo liberè operans, & ad promovendum saltem aliquando, ut supra diximus, vel ad nunquam amittendum, quòd fieri potest operandò aliquando ex quocunque fine honesto, quamvis non sit motivum justitiæ, & operandò aliquando, si non repugnent actus indifferentes in individuo ex fine non inhonesto; unde ad satisfaciendum exigentiæ determinatæ justitiæ non requiritur, quòd determinatè operemur ex motivo formali justitiæ. Cæterum, quia si non compensaremus jus alterius per compensatio- æqualem juri, quæ sit saltem justa secundum quid, peccarem graviter, & amitteremus finem nostrum: exinde tenemur ad talem compensationem, quæ sit justa secundum quid; neque tenemur ad ulteriorem compensationem ex determinata exigentia justitiæ, ut constat à num. 156.

166. Objicies 4. Si justitia non obligaret ad operandum ex objecto formali justitiæ, sequeretur, quòd ille, qui debet centum, si det centum, ex quocunque motivo illa det, satisfaceret obligationi justitiæ: sed hoc est falsum: ergo justitia obligat ad determinatè operandum ex objecto formali justitiæ. Probatum min. Si ille, qui debet centum, det centum animò donandi, non satisfacit obligationi justitiæ, sed remanet debitor illorum centum non minùs, quàm si hæc non dedisset: ergo non satisfacit reddendò illa ex quocunque motivo non inhonesto. Resp. dist. maj. sequeretur, quòd, qui det centum, si det centum ex quocunque motivo illa det, satisfaceret obligationi justitiæ casu, quo non vellet remanere obligationem ad dandum alia centum, conc. casu, quo vellet remanere obligationem ad dandum alia centum, neg. maj. & distincta pariter min. nego conseq.

Ratio est, quia obligatio ex justitia non est sicut obligatio ex præcepto; etenim obligatio ex præcepto non habetur ex propria voluntate, sed ex voluntate Superioris; at obligatio ex ju-

Justitia haberi potest ex propria voluntate obligati; exinde qui debet centum, & dat centum, non quidem ad compensandum, & satisfaciendum debito, sed merè gratis, eo ipso vult manere obligatus ad danda alia centum; unde non manet liber ab onere justitiæ, ad quod ex propria sua voluntate potest, & vult se obligare: si autem ex propria sua voluntate non velle manere obligatus, eo ipso quòd daret centum ex quocunque motivo, satisfaceret obligationi justitiæ, quantumcunque compensatio illa non esset justa simpliciter, sed tantum secundum quid, ideòque num. 15. diximus in assertione, sufficere justum secundum quid, quando datur ex animo saltem virtuali compensandi jus alterius. Ex dictis

168. Fit 1. Magnum esse discrimen inter auditionem Sacri debitam ex præcepto, & solutionem debitam ex justitia. Ratio est, quia quod debetur ex præcepto, non pendet à nostra voluntate, sed à voluntate Superioris; unde si Superior præcipit auditionem Sacri, & nos Sacrum audiamus, non possumus facere, quod præceptum jam non sit impletum, ideòque non possumus facere, quòd iterum obliget. Quamobrem qui audit Sacrum, quamvis nolit, per auditionem Sacri præceptum verè adimplet: at obligatio ex justitia, cum haberi possit ex voluntate propria illius, qui obligatur, potest manere ad dandum centum, quamvis ille, det centum, si ea velit dare, & det gratis, ac proinde velit manere obligatus. Econtra contingeret in votum, quandoquidem haberi potest ex propria voluntate votantis; unde si ille, qui vovit jejunium, vel auditionem Missæ, nolit satisfacere per hoc jejunium, vel per hanc auditionem, eo ipso vult manere obligatus ad aliud jejunium, & ad aliam Missæ obligationem, proindeque ad adimplendum istud votum, tenebitur iterum jejunare, & Missam audire.

169. Fit 2. Quòd si quis reddat commodatum, videlicet librum, quantumcunque reddat librum animò donandi, & volens, ut maneat obligatio ad reddendum illum librum commodatum, nihilominus satisfacit obligationi, & non remanet obligatio. Ratio ex dictis est, quia implicat, ut datio rei alienæ sit donum gratuitum, & non sit restitutio debiti, & ut postquam reddidit homo alienum Domino suo, remaneat obligatio reddendi; unde cum id, quod est commodatum, remaneat alienum, & non sit commodatarii, exinde ejus dominium non transfertur in eum, cui commodatur, proindeque repugnat, ut datio rei, qua commodatum redditur, sit donum gratuitum, & non sit restitutio debiti, ideòque repugnat, ut remaneat obligatio illud reddendi. Ex opposita ratione, si quis reddat mutuum animò donandi, & volens, ut maneat obligatio reddendi, non satisfacit debito, remanetque obligatus, quia per mutuum transfertur dominium à mutuante in mutuatarium; unde si mutuatarius reddat pecuniam,

quam accepit animò donandi, cum reverà sit Dominus talis pecuniæ, verè donat, adeòque cum velit obligationem remanere, manet obligatus ad solvendam aliam pecuniam.

170. Fit 3. Obligationem ex justitia (idem esto de aliis virtutibus) tamdiu remanere, quamdiu remanent circumstantiæ, sub quibus datur obligatio; non verò quando occurrunt circumstantiæ, pro quibus vel non datur, vel suspenditur, & impeditur obligatio virtutis; unde si istæ circumstantiæ possent supervenire ex altera virtute, iperit obligatio justitiæ impediti, vel suspendi per obligationem alterius virtutis. Explicatur exemplis: justitia obligat ad non accipiendam rem alienam invito irrationabiliter Dominò, cumque ille, qui reperitur in extrema necessitate, ita ut non possit vitam conservare, nisi accipiat rem alienam, tunc illam non accipiat invito irrationabiliter Dominò, sed vel non invito, vel irrationabiliter invito, exinde propter obligationem conservandi vitæ potest, ac debet rem alienam accipere. Pariter justitia obligat ad restituendum depositum Domino perenti. Cæterum quia leges non obligant pro circumstantiis, pro quibus non est bonum, ut obligent, sed potius est bonum, ut non obligent, exinde quando adveniunt tales circumstantiæ, non obligat justitia ad restituendum depositum Domino perenti: quamobrem non obligat, si Dominus repetat à me gladium, & alius mihi minetur mortem, si reddam gladium; tunc enim propter timorem mortis cadentem in virum constantem, deobligor ad reddendum pro illis circumstantiis gladium, ideòque tunc suspenditur obligatio justitiæ; similiter si Dominus repetat gladium, Magistratus, vel Princeps interdicit mihi redditionem gladii, ego pro illis circumstantiis non teneor gladium reddere, imò teneor non reddere, quia expedit, ut Princeps, vel Magistratus propter justas causas possit suspendere hanc, & alias similes obligationes privatorum; tum etiam si Dominus repetat gladium in injuriam, vel grave damnum sui ipsius, aut aliorum, v. g. ad occidendum se iniquè, vel ad occidendum alios, non teneor pro illis circumstantiis reddere gladium, imò teneor non reddere, quia expedit, ut non teneor pro illis circumstantiis depositum reddere; unde quotiescunque præcepta naturalia justitiæ, vel aliarum virtutum proponuntur, non exprimendò debitas circumstantias, potest suspendi, vel impedi eorum obligatio, licet non possit suspendi, vel impedi, si proponantur exprimendò omnes debitas circumstantias.

